



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 8. Joannis Castelli supplicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

more sceleratorum in Banco juris, ut Sæcul. XVI.
A.C. 1594.
 vocant, ab ipso primo Præsede interro-
 gatus, dein vero ad cubile, ubi rei quæ-
 stioni subjiciuntur, conducitur, atque
 singulari admodum patientia tormenta
 sustinet, constanter se esse innocentem
 asseverans: cum autem Castellus fassus
 esset, quod suo Parenti suum propositum
 manifestarit, hinc tam Patrem, quam
 ejus Matrem, omnesque illos, quibus-
 cum Castellus ipsa die, qua scelus per-
 petrabat, prandium sumpserat, com-
 prehendi, necessarium fore ducebatur:
 dum vero tota Patris sui domus lustraba-
 tur, libellus proprio parricidæ chiro-
 grapho scriptus inventus est, in quo
 ipsemet omnia scelera a se perpetrata
 juxta Decalogi præceptorum ordinem
 conscripserat: hocigitur scriptum, cum
 a se exarratum fateretur, se ideo con-
 fecisse asseruit, ut confessionis tribunal
 accessurus memoriam juvaret.

§. VIII.

Joannis Castelli supplicium.

Ergo in hunc miserum debitæ decer-
 nuntur pœnæ, ac die vigesima no-
 na Decembris anno Salutis nostræ mil-
 lesimo quingentesimo nonagesimo quar-
 to Senatus Curia mortis sententiam
 pronuntiavit, quæ etiam eadem die reo
 prælecta est, eoque facto denuo reus

*Thuan. &
Avil. l. c.
Dupleix hist.
d' Henry IV.
Journal l. c.
pag. 67.*

Ff 5

non

Sæcul. XVI

A.C. 1594

non modo consuetis, sed etiam insolitis tormentis subjectus, haud plura fatebatur, quam ea, quæ jam antea ad quæstionem vocatus asseruerat. Demum ad Beatissimæ Virginis Templum deductus. ante Ecclesiæ fores, et si maximo frigore aer horresceret, invicta tamen constantia nudus, atque erectus, ac nequidem tremulus substitit: insuper ob tormentorum, ad quæ damnatum se noverat, crudelitatem nullum timoris inditium prodebat: porro ea, quæ in hac sententia erant contenta, pronuntiare jussus, id voce ad contemptum composita præstitit, exinde vero colligebatur, quod suæ opinioni firmiter insistens, nullum de perpetrato crimine dolorem conceperit: postquam vero veniam a Deo, ac Rege petere jussus fuerat, manu cultrum, quo Regem occidere tentabat, gestare coactus ad Portuensem plateam deducitur, ubi corpus ejus a quatuor equis membratim discerptum est, ibique observatum fuit, quod toto supplicii tempore, et si ejus brachia, & femora ardenti forcipe discerperentur, ac cuncta membra dilacerarentur, omnia hæc tormenta vix sentire visus, nequidem ullum doloris sensum, imo nequidem vel minimum clamorem flebilem ediderit: unde hoc monstrum propter tam invictam, qua mortem sustinuit,

nuit, constantiam, a foederatis veluti Sæcul. XVI.
Martyr deprædicabatur. A.C.1594.

§. IX.

Senatus consultum contra Jesuitas.

Eodem decreto, quo hic sceleratus dam- Argentre
nabatur, pariter sancitum, ut Cla- l.c. p. 524.
ramontani Collegii Patres, & Scho-
lastici, omniaque alia Societatis Jesu
membra, e Parisina urbe, omnibusque
aliis civitatibus, & locis, in quibus Col-
legia possidebant, tertia post intimatum
hoc edictum die, ac evoluta tredecim
dierum spatio e toto regno emigrarent,
si vero non obedirent, in eos tanquam
Majestati reos animadverteretur, nec-
non eorum bona tam mobilia, quam im-
mobilia ad opera pia destinarentur, ea-
que arbitrio Curiaë distribuerentur: insu-
per interdictum est cunctis Regis sub-
ditis, ne ad scholas Societatis illius
extra regnum pueros literarum addiscen-
darum causa mittant, poena perduel-
lionis in eos, qui contra fecerint,
sancita.

§. X.

*Hispanorum molimina in Scotia
adversus Angliam.*

Interea Hispani ad excitandos in Sco- Cambden
tia tumultus invicto studio omnes im- ann. Regu.
penderant vires, simulque Catholicis Elif. ann.
spem 1594. Spond.
ann. hoc n. 25.